





21

IN NOMINE DOMINI JESU!  
COLLEGGII SYNOPTICI IN PAR-  
TEM GENERALEM PHYSICÆ

DISPUTATIO X.  
De Monstris & Fato.

RESPOND.  
CHRISTOPHORO POMARIO, Silesio.

POSITIO I.

Monstrum est effectus naturalis cum insigni ali-  
quâ deformitate à Naturâ aberrante productus.

*Expositio.*

§. 1. **S**peciosam Theatri mundani pulcritudinem facies non rarò fœ-  
dæ ac monstrosæ corporum naturalium excipiunt & intercipiunt.  
Quæ tantum abest, ut *ad universitatis decorem ac elegantiam faciant*, quod  
Conimbricenses scribunt *in l. 2. Phys. c. 9. q. 6. art. 1.* ut deturpent mundum  
potius ac deforment. Monstra nec formaliter possident pulcritudinem,  
nec virtualiter efficiunt: quomodo ergo eam dabunt alteri? Opposita  
quidem juxta se posita elucescunt magis, sensum scilicet & rationis ju-  
dicio: at unum non confert alteri aliquid reipsa. Hæc autem doctrina  
etsi Parti Speciali Physicæ vindicanda videatur verius, cum monstra non  
cadant in omnia corpora naturalia, quia tamen nec sedes ibi pro iis com-  
moda, nisi eandem sæpè ingrati cantilenam recentare juvet, huc eam  
referimus, ubi elegantissimum Fortunæ & Casus Exemplum suppeditant,  
Fortunæ in hominibus, Casus in aliis agentibus naturalibus sine suo de-  
fraudatis. Quanquã & hæc tractatio indirectè ac obliquè fiat, cum Phy-  
sica Scientia sit, adeoq; circa res necessarias, non fortuitas occupata. Quia  
tamè in mundo monstra dantur, & quidè per accidès, ideò etiã in Physicâ  
tractatur, & quidè per accidès, quæ repræsètat nobis illum quasi in speculo.

§. 2. Definitum à monstrando derivant, sive sensu activo, quod mon-  
stret aliquid, hoc est, futura portèdat, sive passivo, quod monstratur digi-  
tis prætereuntium, ceu rarum & insolitum quid. Definitio exhibet 1. Ma-  
teriale Monstri, quod Generis vicem subit, & est effectus naturalis.  
Est enim monstrum concretum aliquod Physicum, quod ex Subjecto sive

K

Materiali,



**Materiali, & Formâ denominante sive Formali conflatum est.** Illud est  
opus Naturæ, seu corpus naturale: quod hîc effectû naturalem vocamus,  
quia monstra in ordine ad Casum consideramus. Ergo sicut Casus per  
Causam definitur, sic & monstrum per Effectum. 2. Formale, quod est de-  
formitas aliqua, quæ principaliter voce monstri notatur, ut & in scamno  
primariò forma artificialis communi hominû intelligentiâ concipitur,  
& lignum ceu materia saltem connotatur; nec lignum simpliciter dici-  
tur, sed scamnum ligneû, cum formâ aliam assumerit ex arte, quod ex se  
naturale est. Et quidem deformitas insignis & notabilis. Unde qui cû ma-  
culis in facie, aut verrucis & tuberib9 in digitis, aut aliâs corpulentiores  
nascuntur, monstra non statim sunt. 3. Efficientem Causam aut Deficien-  
tem potiùs, cum Effectus ipse Defectus magis sit, Naturam aberrantem.  
Hæc enim finem suum, quem intenderat, non consequitur semper, sed  
ὡς ἀποπαροξενει, & ultrò citroq; vel in excessum vel in defectum in-  
clinat. Unde & cum Natura præstitit, quod suû est, & casu deinceps de-  
formitas aliqua aut defectus contingit, puta si membra fasciis aut liga-  
mētis detorqueantur, aut partes divellantur & tumores admirabiles ex-  
sistant, nullus monstro locus. Nam Natura ibi non peccavit, sed opus  
suum legitimè peregit. Monstrum autem defectus Naturæ est: est ἀ-  
μαρτυρία τῆς φύσεως ἢ ἀπορροή ἐξ ἁπλοῦς ἢ ἰσχυροῦ, secundum Ari-  
stotelem. Fluit hinc etiam, quod Nymphæ aquaticæ, Tritones, Nereides,  
Cobaldi & homunculi subterranei monstra dicendi non sint. Spectra  
sunt & Diaboli larvæ, non Naturæ ἔργα; itaq; nec ejusdē παράρρημα. Na-  
tura ibi nihil format; ergo nec vitiosè format: nō efficit; ergo nec deficit.

#### POSITIO II.

**Dividuntur Monstra vel ratione Subjecti, quod quæ-  
dam sint Plantarum, quædam Animalium; vel ratione For-  
mæ, quod quædam speciem mutant, & substantiam corpo-  
ris concernant, quædam speciem servant, & circa  
accidentia versentur.**

#### Expositio.

**§. 1.** A Subjecto Monstrorum Corpora Simplicia prorsûs excludi-  
mus: quippe quæ Materiâ generationis omni destituuntur, quæ vel a-  
bundare, vel deficere queat. In Mistis Inanimata item ab hæc labe immu-  
nia videntur, quippe homogenea corpora, nec ad partium diversarum  
distor-

distorsionem apta nata: quantumvis & hinc persæpè concreciones lapidū  
 ac metallorum conspiciere liceat. Animata itaq; potissimum assumimus,  
 Plantas & Animalia. In Plantis concresci poma ac cerasa videmus, Po-  
 mum item ramo uno nucibus, altero piris, tertio pomis, quarto cerasis  
 onustam, aliquas etiam arbores in stupendam vastitatem excrecere.  
*Ut planta vivunt, ait Keckermannus l. 5. Syst. Phys. c. 3. extr. ita quoq; habent*  
*vim formatricem, & per consequens habent virtutis formatricis degeneratio-*  
*nem & aberrationem, atq; adeo materia enormem defectum aut excessum. Neq;*  
*videtur cur quando duo poma aut due nuce conveniunt in unā, minus hoc sit*  
*monstrum, quàm cum animal nascitur duob; corporibus aut duobus capitibus.*  
 Hinc Plinius Lib. XII. c. 1. Arborum etiam abortūs invenimus. Et Lipsius  
 eleganter Cent. 1. Epist. 8. infitones mirabere & matrimonia; adulteria etiam  
 & sapositos fœtus, insciā matre, nec invitā. At minus frequenter hæc acci-  
 dunt: tūm quod Semen stirpium durius ac siccus est, nec ita sequax in-  
 mutationes varias, tūm quod generatio ipsarum facilior, & ad paucas a-  
 ctiones paucorum instrumentorum usus requiritur, tūm quod ob soli-  
 ditatem resistere magis injurijs externis possunt, tūm quod ex unico  
 saltem oriuntur principio & solitario.

§. 2. In Animalibus verò Monstra cum primis usitata, ubi quælibet  
 species multis modis depravari, & in monstrosam faciem transmutari  
 potest, ut plura hinc præcul dubio monstra dentur, quàm species. Quæ i-  
 psa etiam hinc sola tanquam palmaria considerabimus. Eorum autem a-  
 liqua speciem planè mutant, & diversam à causâ producente essentiam  
 habent. Id in mulo cernimus, quem Democritus non naturæ opus, sed  
 humanæ machinationis adulterium & furtū dicebat, qui vel ex equo fit  
 & asinā, vel ex asino & equā, utriq; ex parte & in tantum similis, neutri  
 ex asse & in totum, sed novam planè monstrosam speciem constituens.  
 Primus ejus repertor in Sacris Ana celebratur, gentilis homo, Esavita, qui  
 invenit mulos (Sic enim מִיִּמִּיִּי illud, ἀπαξ licet λεγόμενον, reddend-  
 dam est, non autem vel per maria, quasi sit מִיִּמִּי, vel per aquas calidas,  
 quasi sit מִיִּמִּי ex מִיִּי calidus & מִיִּי aquæ, uti contra Ebræam lite-  
 ram Vulgatæ versionis supparasitatur Cornelius à Lapide) in solitudine,  
 cum pasceret asinas Zibeon Patris sui Gen. XXXVI. 24. *Invenit autē Ana mu-*  
*los non fortuito, sed per industriam. Pascenti enim asinos cogitatio subiit de*  
*applicandâ equâ asino, ex quâ copulâ nova illa species in mundū prodit, com-*  
*mentante hinc in margine Osiandro ex Marbachio. De eo Rabbinus tra-*  
dunt,

dunt, ipsum fuisse Mamseri. e. Spuriū, ex damnato coitu natum, filiū scilicet Fratris sui Zibeonis, qui commistus Matri suæ per nefandū incestū hunc Ana genuerit filiū simul & fratrem suū: ut & hīc effectus iste spurius ac adulterinus testetur de causā suā. *Ana*, scribunt in *Cod. Pesachim c. 4.* fuit אֲנָה profanus, illegitimus & spurius, & introduxit in mundum אֲנָה profana & spuria animalia. Sic ex Pardo & Leana nascitur Leopardus, ex Camelo & Pardali Camelopardalis, ex caprā & ariete musmus, ex lupo & pantherā lycopantheros, ex lupo & cane lycisca, ex vulpe & cane κωαλώμηξ: quod in Africā cum primis, Monstrorum Patriā, quæ & ob id sēper aliquid novi afferre proverbio dicitur, usu venire B. Franzius *Part. 1. Histor. Animal. c. 29.* memorat, cum propter siccitatē animalia ex variis locis cōcurrant ad unum flumē, & exstimulatā libidine coeant sæpē diversæ species. Quin imō (prōh extremū & pudendū scelus!) ipsa Hominis flagitiosa libido, qui ad Imaginem DEI conditus, & Princeps ac Dominus animantiū cunctōrū est, adeō propudiosæ nequitiaē processit, ut nō dubitārit brutis ipsis miscere se nefando & abominando coitu. In sonare debebat meritō auribus ac cordib9 omniū divinū tonitru *Lev. XVIII. 23.* *Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo, Mulier non succumbet jumento, nec miscbitur ei, quia Scelus est. Et c. XX. 15.* *Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoq; occidite.* Ex quo congressu quod suscipitur, nec brutum nec homo nominandum aut habendum est, si vel maximē cum utroq; extrinsecam quandā convenientiā habeat, cum una socia & partialis causa Effectum totalem producere nō queat, nec altera alterius partialis vices supplere in tali vel tali effectu producendo. Non potest homo generare brutum, nec brutum hominem. Quia non datur eadem species inter genitores, ideoq; nec genitū ejusdem speciei est, aut certū certæ speciei Individuum.

§. 3. Quædam verò monstra speciem quidem servant, sed in accidentibus aliquibus deformitatem præ se ferunt. Qualia sunt vel circa Sexū, vel circa Quantitatem tum Discretā, tum Cōtinuam, vel circa Conformationem. Ratione Sexūs quædam sunt sexūs dubii, quædam sexūs utriusq;. Nam interdum membra genitalia latent, ut nesciant mulierculæ, marem an foemellam infantem nominent, sæpē & pro foeminā virorē habeant, qui adultā ætate virum se foeminamvè ostendit. Keckermanno scribit *l. 5 Syst. Phys. c. 3 theor. 2.* *Sunt anni circiter duodecim, quando in Ungariā miles quidam, qui se antè in castris Martis & Veneris virum ostendat,*

demt, (ideoq; & ad sequentem classem pertinet) in castris Ungaricis evasit  
fœmina, & factus est puerpera, invitato in susceptorem nati infantis Comite  
Mansfeldio Generali tum Duce Exercitus Germanici. Ubi non est cogitanda  
transmutatio sexûs masculini in fœmininû, quos Deus & Natura distin-  
ctissimos voluere, sed partium genitalium formatio rectè constituta nō  
fuit, & aut pro mare ex errore habitus, qui fœmina fuit, nymphis scili-  
cet, duabus carunculis, ex humore affluente aliquantis per auctis, vel  
clitoride prominente nimis ac excrecente, unde nymphotomiâ sæpè o-  
pus est, aut pro fœminâ, qui vir fuit, donec tandem successu temporis vi-  
rilitas ipsa erupit, quæ se antè intûs paulò abdiderat. Interdû autem re-  
verà utrumq; membrum adest, nempe in Hermaphroditis seu Androgý-  
nis: quales & in brutis dantur, præsertim inter lepores. Hyænâ quoq; ait  
Aristoteles quosdã opinatos esse duplex habere genitale maris & fœmi-  
næ. De Nerone item Plinius habet *L. XI. c. 48.* quod ostentârit Herma-  
phroditas subjugas carpêto suo equas in Gallico agro repertas, ceu pla-  
nè visenda res esset, principem terrarum insidere portentis. Non quod  
tales è Mercurii cum Veneris conjunctione proficiscantur, aut in cellu-  
lâ uteri intermediâ, eâq; septimâ elaborentur: nam illud causam remo-  
tam & universalè saltem tangit, hoc ab Anatomicis exploditur: sed pro-  
babiliter quod in feminibus Parentû aliqua qualitatis dissimilitudo ex-  
stiterit, & unum forte, alterum debile fuerit, etsi quantitate pari.

§. 4. Ratione Quantitatis Discretæ, sive Numeri, quædam in Excessu  
peccant, cum nascuntur animalia cum duobus tribusvè capitibus, qua-  
tuor sexvè brachiis, corde duplici aut triplici, sex digitis: quædam in de-  
fectu, cum nascuntur absq; brachiis, oculis, pedibus. Augustinus scribit  
*l. XVI. de Civ. Dei c. 8.* *Ante annos aliquot, nostrâ certè memoriâ, in Oriente na-  
tus est homo duplex superioribus membris, inferioribus simplex: duo erant capi-  
ta, manûs quatuor, venter autem unus & pedes duo, sicut uni homini, & tam-  
diu vixit, ut multos ad eum videndû fama attraheret.* Aldrovandus recenset  
*Lib. XIX. Ornithologia cap. 17. p. 45.* quod Anno 1596. in pago quodam Ar-  
gentinensi Anser inventus fuerit monstrosâ planè formâ, duobus nimi-  
rum capitib9 totidemq; linguis, collo unico, quatuor pedibus, quorum  
unum par eum locum occupabat, ubi in aliis alæ adnascuntur, alii circa  
podicem (ubi duplex etiam ejiciendi naturæ excrementa exitus erat)  
appendebant, alæ duæ circa collû expansæ. Ibidè Anserem quadrupedè,  
quem ipse vidit, depingit, & aliû ex Alberto adducit, duplici collo, qua-  
ternis pedibus & totidem alis, dorso uno, adeò ut viderentur duæ aves,

una altera ferēs. *L. XIV. c. 8.* exhibet Gallū tripedē, quadrupedē, quinque-  
pedem. Ibidē refert, *A. 1551* in Galliā duplices ex Gallinā pullos invētos  
fuisse, quatuor alis totidemq; pedibus, sed unico dūtaxat capite. *Jonsto-*  
*nus Admir. Aviū Cap. 13.* ait: *Anno 1550. capta est columba in Germaniā qua-*  
*tuor pedibus, duplici alvo: ad Carolū & Electores allata omnibus miraculo fuit.*

§. 5. Ratione Quantitatis Continuae, sive Magnitudinis, quaedam in  
Excessu peccāt, ut cūm hydrocephali, megalcephali ac gigātes nascūtur.  
*Vesaliū apud Weinrichiā c. 8. De Ort. Monstr.* narrat, Genuæ puellū natū  
annos ferme tres à Mēdicā ostiatim circūlatū esse, & paulò post in nobi-  
lissimā Belgarum Brabantiā ab histrionibus propositū, cujus caput in u-  
trumq; latus protuberans duobus virorum capitibus grandius existiterit.  
Quaedā in Defectu, ut cūm nani & pumiliones nascuntur, quivē brachia  
pedesve vitio naturę curtatos habēt. Nēpē nō tantūm certa qualitas, sed  
& quātitas certa cōcessa est à naturā corporib9. Hęc terminos suos habet,  
Maximū & Minimū, tūm in genere vivētū, tūm omniū corporū natura-  
liū. Ubi cūm aut ultra eos Natura adscēdit aut infra eos descēdit, mōstrū  
parit. Unde nihil est, quod loca velimus distinguere, quasi Gigantes aut  
Pygmæi qui in nostrā regione monstra sunt, in Palæstinā aut Ægypto ta-  
lia non fuerint, quia ibi frequentiores, apud nos rariores. Locus est acci-  
dens aliquod extrinsecum, quod nō mutat rem. Quod alicubi erratū est,  
ubiq; pro tali habendum est. Nec illud statim rectum censendum, quod  
Natura in hęc vel illā Provinciā, aut in uno aliquo Orbis angulo facit,  
sed quod in toto suo ambitu, in totā latitudine præstat. Nec multitudo  
errantiū parit errori patrociniū. Hoc tamen addim9, distinguendum esse  
inter excellentem quantitatis gradū tūm quoad intētionem, tūm quoad  
remissionem, & inter enormem quantitatis excessum vel defectū. Non  
statim pro mōstris habēdi, qui aliis staturā majores vel minores sunt, sed  
qui à cōmuni hominū staturā insigniter deficient. Est enim Natura latitu-  
dinis amās, nec ad pūctū aliquod restricta sive in qualitate sive in quātitate.

§. 6. Ratione Cōformationis plurima peccāt. Sic quidā hominū capite  
suillo, facie vulpinā aut leporinā nati sunt, quidam cynocephali. Equini  
pulli, facie planē humanā, effigiem repræsentat *Ambros. Parēus l. 14. c. 1.* In  
*Tachni Sythiæ fluvio maximo pisces sūt humanā propemodūm effigie,*  
qui nihilo seciūs esitantur ab accolis: quos cūm aliqui Anthropophagos  
vocāssent, *Scaliger* eorū sententiā impiā esse ostendit, qui putarent in il-  
lis quidquam esse hominis: animæ namq; nostræ ad hanc rationē gra-  
dūs quosdā constitutū iri, *Exerc. CCXXVI. 12.* Quidā gibbi, repandi, sinu,  
obstipi,



obstipi, collum, cervicem & spinam depravatam habent, qualis Therites, Æso-  
pu, Socrates. Esavus totus pilosus ac villosus ex utero prodiit. Scaliger Ex.  
CXIV. 2. Hispani pueri meminit, qui candidis pilis totus tectus, & inde Gallis  
Barbet, Flandris Watterhunt dictus fuerit. Virginis pilosæ meminit Paræus l. c.  
C. 7. Conferatur Schenckius l. 5. *Observ.* 190. Et quis omnia fando exprimat?  
Multis modis à medio aberrare contingit, nunc in dextrum, nunc in sinistrum.  
Rectum est unum ac simplex, obliquum varium & multiplex.

### POSITIO III.

Causa Monstrorum Efficiens est Natura deficiens; Mate-  
rialis, Semen & Sanguis menstruus.

#### Expositio.

§. 1. DEUS ad producenda Monstra effectivè concurrere dicendus non est.  
Defectus enim Monstrum est, ideoq; deficientem Causam postulat. DEUS autè  
ut Ens perfectissimū, potentissimum ac sapientissimū, nunquam in agendo de-  
ficit, sed solæ Causæ secundæ. Non tamen ociosus planè horū spectator est, sed  
permisivè concurrat hinc tum ad gloriam suam illustrandam, tum ad malitiam  
hominum puniendam, tum ad futura prædicenda. Sic cæcus ille ex nativitate  
nec peccaverat ipse, nec Patres ejus, sed ut manifestarentur opera DEI in illo  
*Joan. IX. 13.* Sic inobedientibus interminatus est *Deut. XXIX. 18.* *Maledictus e-  
rit fructus ventris tui, & fructus terra tua, alimenta bouum tuorum, & greges ovium  
tuarum.* Sic *Dan. VII.* vicissitudines Monarchiarū sub monstris bestiarū ima-  
gibus prædicuntur. Nec DIABOLUS trahendus huc. Penes hunc enim si arbi-  
trium & potestas esset formationis in utero, torqueret utiq; contorqueret, de-  
torqueret, distorqueret, retorqueret miserè omnes Embryones, quod interneci-  
ū ejus est adversus ipsos odiū, nec ullus hominū salvus ac incolumis in lucē pro-  
lirer. Quāquā quid idē ex divinā permissione præstare hinc possit, nosimò deter-  
minare. B. Philippus scribit l. 2. *Phys. p. 294.* *Ante Bellū Germanicū, quod Carolus Imp.  
adversus Ducē Saxonie & sœderatos gessit, natus est infans in pago quodā Francorū, cui  
exemio ex alvo Matris culter jacuit in vêtre, emines cuspide extra ventrē, qui paula-  
tim factā suppuratione extractus est. Omnes judicārūt Bellū civile significari. Nec po-  
tèst hinc Physica causa reddi. Unde enim culter insertus fuisset alvo Matris? Sed Diaboli-  
cis præstigiis culter vêtre infantis infixus est, ad significandas mutuas cedes civiū, qui ve-  
luti in viscera sua ferrū postea strinxerunt. Aliqui COELUM monstrorū fabrū faciūt,  
& Stellas arcessūt, infastosq; Planetarū positūs & horribiles ad spectūs, sentiūt-  
que infastos ac retros siderū cōursūs & cōfigurationes insigniter vel inchoata à natū-  
rā corporū lineamēta pervertere & deformare, vel alienas reb; affirmare & induere  
pecies, quæ Peuceri verba sūt *De Divinat. p. 440.* Non rarò peccas natura, dicit Ma-  
girus l. 1. *Phys. c. 3. p. 54.* ob aliquē ad spectū & constellationē cælestem, contrariā fœtus  
generando, ut propterea fœtus ore vel leporino, vel vulgino, pedibus ovillis &c producatur. Ag*

*enr.* At astra causæ universales & remotæ sunt, quæ non determinant hunc vel istum effectum particulare, nec immediatè in corpora naturalia influunt. Dispositivè & indirectè aliquid causare hinc possunt, non effectivè & directè. Manet ergo NATURA. Nam etsi ARS quoque; ingeniosa inventa monstruosas plantas ac animalia producendi commenta sit, Naturam tamen semper præsupponit, & activa saltem passivis applicat. Quanquam contra exsertum DEI interdictum *Levit XIX. 19. Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus.*

§. 2. Natura autè DEFICIENS Monstra efficit. Qui defectus à variis causis & occasionibus oriri potest. Modò enim virtus agētis sive ex totius corporis, sive partis alicujus principalis, epatis vel vel testium, affectu, paulò debilior est, unde homines generantur paucioribus membris, tribus vel duobus digitis, aut prorsus etiam sine digitis & brachiis. Modò Continentis tum Mediatum, uteri, tum Immediatum, secundinarum, vitium est. Matrix, quam *nobilissimam ac propemodum divinam favissam* Scaliger nominat, *in qua nature thesauri conditi, ut ubi fuerit opus depromantur, Ex. CXXXI. 4.* cum vel frigidior justò vel siccior est, aut in figuram foetui convenientem dilatare se non potest, non impedit conceptionem modò, sed genituram ipsam morbidam & corruptam facit. Ut terræ si sabulosa sit aut palustris, aut immoderatè calida, frustra committuntur semina: sic huic Naturæ agro. Secundinæ si rumpantur plagam aut ictu externo, aut erodantur ab humoribus serosis ac mordacibus, tum diffluit semen & diffusum spargitur, curvantur membra, discorvantur, dislocantur, fiuntque monstra bicorpora. Unde in iis ovis quibus intus membrana separans nulla est, pullum bicipitem, vel quaternis etiam pedibus nasci compertum est. Si vitelli membranam distinguantur, gemini pulli discreti procedunt, si nullam interjectam membranam cohærescant, monstrifici pulli inde oriuntur, corpore & capite uno, pedibus quaternis, alis totidem. Nihil dicam hic de inordinata Parenti Venere, nihil de superfœtatione, nihil de subito terrore, de picâ, & cui plurimæ partes debentur, Phantasiâ Matris vehementiori, cujus Modum & Exempla nonnulla auctuli *Disp. X. De Cons. & Diff. Corpor. Natur. §. 9. & Disp. I. De Noctambulis §. 12. & seq.*

§. 3. Materialis Causa Semen est, quod cum in Excessu peccat, bicipites, tripites, sedigiti procedunt; cum in Defectu, mutili, curti, brachiis, pedibus, digitis carentes, Naturam scilicet in necessitatis articulo magis sollicitam de principalium membrorum elaboratione, capitis, cordis, epatis, quam minus principalium. Sanguis item menstruus cum ad nutritionem & augmentationem partium conducatur, si non affluat modo debito, vitium parit. Hinc plauti nascuntur, planci, valgi, suras nullas habentes, pallidi, macilentum.

#### POSITIO IV.

Fatum est ordo & complexio causarum naturalium omnium, universalium particularium, remotarum propin quarum, mundi superioris ac inferioris, effectus suos necessariò inferentium.

GLORIA IN EXCELSIS DEO!

Nov. 2000 <sup>8d.</sup>







21

MINI JESU!  
 OPTICI IN PAR.  
 EM PHYSICÆ  
 IO X.  
 s & Fato.

N D.  
 OMARIO, Silesio.  
 O I.  
 turalis cum insigni ali-  
 aberrante productus.

io.  
 alcritudinem facies non raro fœ-  
 turaliū excipiunt & intercipiunt.  
*lecorem ac elegantiam faciant, quod*  
*c. 9. q. 6. art. 1. ut deturpent mundū*  
 maliter possident pulcritudinem,  
 ergo eam dabunt alteri? Opposita  
 gis, sensuum scilicet & rationis ju-  
 quid reipsa. Hæc autem doctrina  
 videatur veriùs, cum monstra nõ  
 a tamen nec sedes ibi pro iis com-  
 tilenam recentare juvet, huceam  
 & Casus Exemplum suppeditant,  
 agentibus naturalibus sine suo de-  
 ndirectè ac obliquè fiat, cum Phy-  
 arias, nõ fortuitas occupata. Quia  
 dè per accidès, ideò etiã in Physicã  
 resètat nobis illū quasi in speculo.  
 vant, sive sensu activo, quod mon-  
 sive passivo, quod monstretur digi-  
 itū quid. Definitio exhibet 1. Ma-  
 m subit, & est effectus naturalis.  
 l Physicum, quod ex Subjecto sive  
 K Materiali,